



**Clara Et Praeclara Methodus Parandæ Eloquentiæ,
Secundùm Doctrinam & Præcepta Cypriani Soarii è
Societate Jesu, Ad Captum Et Praxim Faciliorem
Accommodata**

Worpitz, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Pars II. Agit de Depositione Argumentorum quoad formam, seu de
argumentatione Rhetorica juxta Doctrinam Soarii lib. 2. à c. 16. quæ verò
à c. 1. prætermissa sunt de Orationis partibus vide parte 5. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68908)

PARS SECUNDA
DE DISPOSITIONE
ARGUMENTORUM.
QUO AD FORMAM
SEU

DE ARGUMENTATIONE.

DE dispositione orationis suas in partes (quæ sunt exordium , narratio , confirmatio , & peroratio) hîc non ago adhuc ; sed de collatione argumentorum quâ in formam certam rediguntur , ut vim habeant illativam , seu majus pondus ad aliquid probandum & inferendum : Ad hanc enim formam referendum est excogitatum argumentum , si non tantum Philosophos , sed & Ciceronem imitari velimus , qui ex argumentis suis , argumentationes confecit , ut ex earum Analyfi patet apud diversos. Quare post argumentorum inventionem , proxima danda est opera Oratoriæ facultatis Candidato , ut nôrit facere argumentationem. Est autem *argumentatio forma & modus , quo argumentum proponitur , ut vim & pondus habeat ad probandum & inferendum ;* ut enim telum ad arcum attractum , aut globus fistulæ æneæ impositus , validus & majori fertur impetu ; sic & argumentum argumentatione conclusum. Sunt verò quatuor ar-

H 3

gumen-

gumentationis species, ad quas aliæ reducuntur: de singulis hîc aliquid non Philosophorum rigorem, & latitudinem sectando, sed captum Rhetorum, dicam aliquid.

§. I. De Ratiocinatione seu Syllogismo.

Ratiocinatio est oratio seu argumentatio, tribus constans partibus à quarum una progredimur ad alteram, ut ex utraque tertiam inferamus. Vocatur ratiocinatio, quia ratio seu argumentum inventum artificiosè ponitur, ut aliquid concludat, & inferat. Partes autem, quibus constat, sunt *propositio* (quæ apud Philosophos semper vocatur *major*) *Assumptio*, (quæ Philosophis minor dicitur) & *Complexio*, quæ Philosophis est conclusio & consequentia, vel *illatio*. Prima pars *propositio* dicitur, quia proponit argumentum ex aliquo locorum Rhetoricorum desumptum: unde dicit Author: *per quam locus ponitur*, id est argumentatio ex loco desumptum: accipit enim continens pro contento per *Metonymiam*. Secunda vocatur *assumptio*, quia ad rationem & argumentum jam propositum assumit, & adjungit id, de quo est quæstio, & dubium. Tertia appellatur *complexio*, quia complectitur, & colligat duo, de quibus dubium erat, an conveniat unum alteri: dubium enim erat: an prædicatum subjecto conveniat. Est autem subjectum, ut supra dictum est, id de quo aliquid dicitur. *prædicatum verò est, quod de aliquo dicitur, hic.*

Nota

Nota 1. licet Syllogismus ex se sit oratio tripartita, tamen si propositioni sua addatur ratio, & assumptioni rursus sua, dicitur apud Rhetores quinque partita, quod quinque partibus constet; quod toties est faciendum, quoties oritur dubium: an propositio & assumptio vera sit.

Nota secundò facilem, pro captu Rhetorum, modum syllogismum conficiendi, nulli, quod sciam, traditum apud Authores, qui tamen Rhetorum exercitationes in syllogismo oratoriè deducendo potissimum collocant. ut est A. Radau. P. Sigis. Lauximin. Est autem iste, prorsus conformis præceptis Rhetoricæ. Primò *fac quæstionem*, deinde inveni rationem, seu argumentum, pro ut jam suprâ monui: posthæc argumentum inventum conjunge cum *predicato* quæstionis relicto interim subjecto; ità tamen, ut prædicatum quæstionis maneat prædicatum, & ratio inventa fiat subjectum; & sic habebis *propositionem*; hæc enim est *per quam locus seu argumentum ex loco proponitur*. Hoc tamen observandum, cum ex particularibus meris nil sequatur juxta Philosophos, eò quòd medius terminus (qui est ratio inventa, respectu ejus prædicatum & subjectum quæstionis sunt duo extrema conjungenda per hoc medium, cum non detur transitus ab uno extremo ad alterum sine medio) non distribuatur, ac extendatur, ut utrumque

extremum, prædicatum & subjectum, complectatur & jungatur, tanquam vinculum quo unum alteri jungatur: Hoc inquam observandum est, ut si ratio sit particularis, facias universalem reducendo hypothesein ad thesim, speciem ad genus: quod fit, si omitas circumstantias ad unam personam, vel rem tantum spectantes, & constructionem sic ponas, ut de omnibus in illo genere verificetur: ad quod serviunt particule *nullus, omnis, nunquam, nusquam, quandocunque, ubicunque*. Ut verò alteram syllogismi partem conficias, arripe jam *subjectum* quæstionis, & iterum adjungere rationem inventam, ita tamen, ut *subjectum* quæstionis maneat *subjectum*, & ratio ponatur pro prædicato, & habebis assumptionem. Tandem accipe quæstionem, pro complexione (nec enim aliud inferri debet quàm quod est in quæstione, hoc enim probandum est) sed loco *an*, ponas vocem *ergo, igitur* vel similem particulam illativam. Res pateat in exemplo. Sit quæstio: *an Medea diligat filium?* inveniatur ratio, quæ v. g. pro affirmatione detur, quod *fit Mater*: jam hæc ratio ponatur cum *prædicato* quæstionis, quod est, *diligit filium*, & maneat prædicatum quæstionis prædicatum propositionis: unde *subjectum* erit ratio inventa: nempe: *Mater*: quia verò propositio sic erit particularis, cum ratio sit de sola Medea, revocetur ad universalem hoc modo: *omnis mater diligit filium*. Deinde accipiatur iterum ratio, &

ad

ad illam assumatur *subjectum* quæstionis, ita ut maneat *subjectum*, ideoque ponatur ratio pro prædicato; unde fiet hæc constructio: *Medea est Mater*. Demum accipiatur quæstio, & loco *an* ponatur *ergo*, sic mox erit complexio hæc: *ergo Medea diligit filium*.

§ II. De *Enthymemate*.

Enthymema dicitur *ratio* *incompleta*, quia duas tantum *sylogismi* partes complectitur aperte & expresse, tertium interim reticendo & subintelligendo: Hanc ob causam etiam *commentum* dicitur, quod una *Sylogismi* pars in *mente* remaneat. Prima pars vocatur *antecedens*, eo quod antecedit; altera *consequens*, quod ex priori consequatur. Unde defini potest, quod sit oratio seu *argumentatio* *duabus constans partibus ex quarum una inferitur altera*. Potest autem in *mente* reticeri tam major, quam minor *sylogismi*, id est, jam hæc, jam illa pars omitti potest. v. g. *omnis Mater diligit filium, ergo Medea diligit filium*. Vel: *Medea est Mater, ergo diligit filium*. Solet autem plerumque omitti pars illa, quæ per se est nota, ideoque facile subintelligitur, idque non tantum in *conficienda* *argumentatione*, sed etiam in *deductione* seu *tractatione* illius: *superfluum* est enim atque ideo *vitiosum*, hujusmodi *deductioni* *immorari*: Unde fit, ut sæpe *sylogismi* loco in *oratione* tractetur solum *enthymema*, cum aliqua partium obscura atque dubia non est, ut patet in *orationibus* *Ciceronis*.

qua ex causa etiam enthymema syllogismus oratorius appellatur. Però optima censentur enthymemata, quæ fiunt ex repugnantibus, aut contrariis: tunc enim, si antecedens verum est, consequens negari non poterit, ideoque ad syllogismi formam recurrere opus non erit, ut rectè inferri ostendatur: per se enim patet, utrumque simul stare, atque verum esse non posse: v. g. hæret in popina, aut vagatur, ergo non studet: non est bellum, ergo est pax. Quia verò contraria sæpe amplificationi non dant locum in oratione, hinc nè nudè argumentatio proponatur & appareat, solet per interrogationem sic proponi: nullam in studiis adhibes diligentiam, & tamen doctus fieri appetis? tota die hausisti, & miraris dolore tibi caput? pacem vult Antonius? arma ponat, roget, deprecetur. Sic Poëta: nox & amor vinumque nihil moderabile suadent, quis fugienda neget? simile exemplum est in authore.

§. III. *De Inductione.*

Inductio est argumentatio in qua ex pluribus rebus non dubiis (id est certis) sibi tamen similibus inferitur aliquid de aliquo, quod ipsum illis est simile. Hinc tria ad inductionem requiruntur 1. ut res in antecedenti sint plures: per hoc enim differt inductio ab exemplo, in quo unum tantum simile ponitur. 2. ut illæ res sint certæ, & non dubiæ, ut sit necesse eas concedi, alioqui conclusio, quæ ipsis innititur, non posset esse certa. 3. ut res illa, quæ in conclusioni ponitur, sit similis prioribus

oribus

oribus in antecedente positus; aliàs non foret par ratio pro utroque, & sic, quod de uno dicitur, non posset de altero dici, si sint diversa, seu si non convenient. Hinc breviter definitur: est argumentatio, quæ ex pluribus collationibus (id est, quæ inter se conferuntur, seu sibi sunt similia) certis pervenit ad id, quod probare intendit. Non curatur autem hîc, an illa similia quæ pro antecedenti ponuntur, sint *res*, an *facta*, seu exempla: sufficit si sint similia: unde huc plurimum confert, & conducit locus Rhetoricus *similitudo*, comparatio parium, & præjudicia: à quibus tamen inductio (idem intellige de exemplo, quod etiam in simili facto consistit ut patebit) distinguitur per hoc, quod similitudo, comparatio, & præjudicia solum dent materiam: inductio autem & exemplum formam: id est: illa solum præbent argumentum, & rationem seu causam; hæc autem, modum, quo argumentum ex illis desumptum proponitur. Exempla rerum similium dat Cyprianus Soarius in pomo, cquo &c: factorum autem in Hectore Tippi, in Phœbo, adjicio plura, cum alibi de iis dicendi non recurrat locus S. Hieron. ex compassione creaturarum aliarum infert, & hominem debere Christo patienti compati: sol, inquit obscuratur, terra concutitur, petra finduntur, velum templi dividitur, sepulchra aperiuntur, solus homo non compatitur, pro quo tamen Deus patitur. Sic cuiq; moriendum esse, probari potest, Sol oritur & occidit; flos nascitur, & emori-

& emori-

& emoritur ? virescit arbor, & emarcescit & hominem de muliere natum, non credimus moriturum ? Idem per facta probari potest: mortem non effugit potentia Alexandri, non fortitudo Sampsonis aut Herculis: non sapientia Salomonis, non divitiæ Cræsi, non pulchritudo Helenæ &c. nec nos igitur ab ejus incurfu immunēs fore credamus. Aliud è rebus desumptum: munditiem amas in domo, nitorem in patinis, splendorem in vestitu, & animæ puritatem atque ornatum negligis ? Ovidius 1. de Pont. lib. 6.

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus.

Et capiant vitium, n̄ moveantur, aquæ.

Et mihi si quis erat dicendi carminis usus,

Deficit, estque minor factus inerte situ.

Tale est illud. Domus, ut rectè administretur, eget patrefamilias, exercitus duce, navis gubernatore, currus aurigâ, ergo etiam mundus Rectore Deo opus habebit. Vide Eleg. 9. lib. de Ponto.

Nota 1. inductionem plurimùm servire ad probandam propositionem universalem v. g. Petrus est bipes. Paulus est bipes. Joannes est bipes, ergo omnis homo est bipes. Item prudentia est laudabilis, justitia est laudabilis, fortitudo est laudabilis, temperantia est laudabilis, ergò omnis virtus est laudabilis.

Nota 2. Oratores in consequenti non ponere ergò; sed interrogationis vel subjectionis figuram,

figuram, tum ut non appareat artificium: tum ut vim majorem habeat; hinc superiora exempla pleraque sine hae particula elata sunt. His adde sequens: an non inter planetas astrum præcellentissimum sol? & tamen rubet. An non inter metalla principatum tenet aurum? & rubet; an non inter pomorum decora & delicias, quod aureum dicimus eminet? & rubet, an non regina florum purpurascens rosa? & rubet, &c. quid igitur dedecus existimas capite mentove rubere hominem?

§. IV. De Exemplo, quarta argumentationis specie.

Exemplum est inductio imperfecta, quia solum unum simile ponit pro antecedenti, non plura. Unde distinguitur ab *Inductione perfecta*, quod hæc à pluribus particulis procedat ad aliud ipsi simile: *exemplum vero ab una re singulari*, seu particulari: ideoque duabus tantum constat partibus, sicut enthymemate. A quo tamen differt per hoc, quod in enthymemate semper generale seu universale aliquid ponatur expressè, vel subintelligatur (debet enim ex eo fieri posse syllogismus, qui ex merè particularibus fieri non potest) exemplum autem ab una re particulari procedit ad aliam itidem particularem. Licet verò unum duntaxat simile contineat exemplum, tamen majorem sæpe motum facit, quàm inductio per plura, propter amplificationem Oratoriam quæ proponitur: unde

unde & inductio Oratoria nominatur : quia plerumq; Oratores boni, insigni historiâ aut facto contenti, illud eleganter exponunt & amplificant ad delectationem & motum v. g. Caesarum ille Princeps Julius Romaniq; Imperii fundator, bello clarissimus, victoriisque celebratus, tanto literas studio est complexus, ut gladium sæpè calamo permutârit, armilustria lectione, tumultus erudita quiete. Et ea manu, quâ hosti palmas eripiebat, stylum tractabat, non sanguinem eliciturus, sed characteres efformaturus, quibus res à se gestas posteritati commendaret. Et nos literas militiæ, Musas Marti, stylum ensi malè convenire putemus &c. Nota parum referre hîc, an illud simile sit *res an factum*: nam exemplum non tantum dicitur factum, sed etiam res, quæcunque ideam, & exemplar præbet ad aliud simile sibi exprimendum. Et quorsum revocabis argumentationem? in qua ab *una* re simili, ad alteram similem proceditur, si facta solùm ad exemplum referri aſſeras. Ad inductionem non, quia hæc vult *plura* similia, non unum: non ad enthymema, quia cùm ab una re particulari ad alteram procedit, nullam, nec quidem occultè habet universalem propositionem, quod ad enthymema requiritur, secundùm dicta superius. Dicendum igitur referri ad exemplum, & sic etiam res ad exemplum spectabunt, sicut ad inductionem perfectam: distinctio verò inter hanc, & illud, tenenda, quæ suprâ data est; nec curandi ii, qui cum Pa-

latio

latio Eloquentiæ, plura facta pro antecedenti ponunt in exemplo: hoc enim est facere inductionem perfectam. Ex dictis collige rectè dictas argumentationes inter se distingui: enthymema enim differt à syllogismo, quia hic tribus constat partibus, enthymema duabus. Inductio & pluribus constare potest quàm tribus, & præterea non habet ullam propositionem genericam & universalem, quam tanquam medium terminum distribuatur & applicet aliis, quod tamen habere necesse est syllogismum. Exemplum autem, licet duabus constet partibus sicut enthymema, non tamen procedit ab universali & generica re, sed à particulari ad particularem, quod enthymema non facit: in quo expressè vel occultè (saltem in parte illà quæ in mente reservatur) invenire est universalem in antecedenti.

§. V. De Epicheremate.

Epicherema est argumentationis quædam umbra, aut, ut plus ei tribuam, simulacrum, imago, & species. refert enim, & representat in se argumentum, re ipsa verò argumentatio non est: quia expressè non admittit particulam, ergo, igitur illativam, sicut admittunt quatuor præcedentes: si enim ei apponatur talis particula, transibit in aliquam ex præcedentibus. Unde Græci omnem argumentationem epicherema vocant, quia quælibet dictarum argumentum in se continet. Cicero autem solùm syllogismum sic vocat: quia plerumque & facile

cilè syllogismus tam perfectus , quàm imper-
 fectus ex eo confici potest , quod reliquæ
 partes in eo lateant v. g. sine causa dominum
 servus accuset? in hac propositione continen-
 tur hæ tres : nullus servus debet suum Domi-
 num sine causa accusare ; hic medicus est ser-
 vus Deiotari , & nullam habet causam ; ergo
 non debet Dominum suum accusare. Omitte
 unam ex præmissis , & habebis syllogismum
 imperfectum, seu enthymema. Idem iudicium
 esto de sequentibus : nobilis adolescens nugæ
 tractet palam ? Sodalis Marianus tot mensi-
 bus non confiteatur ? tu mihi lavas pedes ? Ju-
 da , osculo filium hominis tradis ? Ex quo li-
 quet , quod epicherema sit *virtualis syllogis-
 mus* , non tamen formalis , id est : *virtute æ-*
quivalet syllogismo , formam tamen & mo-
 dum syllogismi expressum non habet : quia
 non admittit particulas illativas , quæ sunt
 signa argumentationis formatæ. Unde epi-
 cherema se habet sicut aureus in valore ad
 tres Rhenenses , enthymema autem sicut duo
 imperiales , ad eosdem. Sicut autem aureus
 non est tres floreni in forma & in specie , sed
 solum in valore ; ita nec epicherema est for-
 malis syllogismus , sed *virtualis & virtute æ-*
quivalens. *Ex his collige cur enthymema sit*
distinctus & specialis modus à syllogismo ,
 licet in duabus propositionibus idem conti-
 neat , quod syllogismus ; non sit autem epi-
 cherema , quod etiam idem continet , quod
 syllogismus ? non enim continet idem cum
 il-

illatione expressa & formali, sicut enthymema, sed tacitâ, implicitâ & occulta, unde non habet formam argumentationis, sicut enthymema. Idem dicendum de inductione & exemplo, quæ extra orationem admittunt ergo, igitur; licet in oratione occultetur, nè philosopho similis videatur Orator in argumentando: hoc ideo addendum erat, ne plures quàm quatuor argumentationis species admittere sit opus. Qua ex causa etiam sorites & dilemma ad aliquam ex primis quatuor revocanda erunt.

§. VI. De Sorite.

Soriten vocamus accumulationem plurimum argumentorum concatenatorum, seu rationum à se invicem descendentium, & dependentium, donec aliquid ex iis tandem inferatur: indè acervalis, id est, cumulus dicitur; quia quod per plures syllogismos probandum esset, hoc breviter colligitur in unum, & per modum unius ad antecedens refertur, sicut plura similia in Inductione. Differt autem ab Inductione, quia Inductio in antecedenti vult plura sibi similia; sorites autem habet dissimilia, & diversa; deinde inductio nec quidè implicitè seu occultè habet materiã universalem & genericam, sed tantùm particularè; at sorites illam habet saltè occultè & implicitè, sicut enthymema. Unde non est specialis & distinctus modus argumentandi ab enthymemate, sed eò revocari potest, quia ha-

bet formam illius & modum concludendi, nam omnes rationes sunt per modum unius antecedentis, & ad unam solùm conclusionem deferri videntur. Unde sicut enthymema includit & involvit syllogismum, & ex eo fieri potest, sic etiam ex sorte, plures tamē quam unus. Exemplum sorte sit hoc: qui fit religiosus, relinquit sæculū; qui relinquit sæculum, vitat plurimas occasiones peccandi; qui vitat plurimas occasiones peccandi, non facile peccat graviter; qui non facile peccat graviter, habet majorem suæ salutis spem, quàm alius, qui sæpe peccat, ergo qui fit religiosus, habet majorem salutis spem, quàm alius. Hinc sequentes fiunt syllogismi. Qui fit religiosus majorem habet salutis suæ spem quàm alius qui non fit, sed tu fis religiosus, ergo majorem habes tuæ salutis spem, quàm alius, qui non fit. Maj. probatur, qui fit religiosus relinquit sæculum; sed qui relinquit sæculum, majorem habet salutis suæ spem, quàm qui non relinquit, ergo tu majorem salutis tuæ spem habes, quàm alius. Major est certa. Minor probatur. Qui relinquit sæculū, vitat plurimas peccandi occasiones, sed qui vitat plurimas peccandi occasiones, habet majorem salutis suæ spem; ergo qui relinquit sæculum, habet majorem suæ salutis spem. Maj. est certa. Minor probanda. Qui vitat occasiones plurimas peccandi, non facile peccat graviter; sed qui non facile peccat graviter, habet majorem salutis suæ spem, quàm alius, qui peccat: ergo qui vitat plurimas occasio-
nes

nes peccandi, habet majorem suæ salutis spem, quàm alius. Vide quod ratiocinationes includantur & implicentur in sorite, *explicitè* tamen formam enthymematis præsefert. Sorite usus est Themistoclis filius apud Plutarchum, quando, ut se Atheniensibus imperare ostenderet, sic argumentatus est. Quidquid mihi placet, placet & matri; quidquid matri placet, & Themistocli; quidquid Themistocli, placet & populo Atheniensi; ergo quidquid mihi placet, placet populo Atheniensi. Aristoteles & Phys. animam esse immortalem sic probat: anima seipsam movet: quod autem seipsum movet, principium motûs est, quod autem principium motûs est, natum non est, quod natum non est, etiam non moritur; anima igitur nō moritur. Seneca epist. 86. qui prudens est, & temperans est, qui temperans est, & constans est, qui constans est, & imperturbatus est; sine tristitia est, qui sine tristitia est, beatus est. Ergo prudens beatus est, & prupentia ad beatam vitam satis est. Hyparchia Crateris Cynici uxor sic Theodoro illusit: potest Hyparchia præstare, quod honestum est, annuente Theodoro, subjicit illa; quidquid est justum, est honestum; quo iterum concesso, ait: quod non injustum, hoc justum est; cū & hoc concederet, subdit: quod faciens Theodorus non dicetur injustè agere, id si faciat Hyparchia, non dicetur injustè agere; & cū hoc admisisset, subsumit: sed Theodorus seipsum percutiens non dicetur injustè agere; igitur

nec Hyparchia, si idem fecerit. Hoc captus Theodorus, & ab aliena muliercula pugnis dignus, convictus est. Indè patet intervenire sæpe fallaciam, nec omnia concedenda, sed cautè examinanda: falsum sanè est illud, quod licet. Theodoro justè facere, id etiam alteri licere: potest enim Theodorus domū, & res suas incēdere aut dono dare; cū uxore sua liberos procreare, quod alteri non licet. Similis dolus latet in illo: qui bene bibit, bene dormit: qui bene dormit, non peccat; qui nō peccat, est sanctus; qui est sanctus, venit ad cælum: ergo qui bene bibit, venit ad cælū. Falsū est illud simpliciter prolatum, qui non peccat est sanctus; potuit enim antea peccasse; esto jam non peccet, unde distingui debet: qui nunquam peccat est sanctus, Con, qui jam non peccat, sed prius peccavit N. peccavit autem dum biberet cum excessu. Captiosum est illud: bibliopola multos libros habet, & eos sæpe volvit; qui autem libros sæpè volvit, multūm studet; qui multūm studet, fit doctus, ergo bibliopola evadit doctus, error est in secunda propositione.

§. VII. De Dilemmate.

Dilemma est duorum contrariorum assumptio, quorum quodcunque admiseris, impinges & offendes: unde aliter cornutus syllogismus dicitur, eò quod utraque parte contrariorum feriat, & impetat, velut animal cornutum: v.g. vel vis evadere doctus, vel nō

vis

vis; si vis, cur negligenter studes? si non vis, cur frequentas scholas. Item: vel vis, venire ad cœlum, vel non vis: si non vis, stultus es, tantum bonum negligendo; si vis, quare ergo peccas? Item: vel vis in hac vita pati, vel nō vis si non vis, patieris, in altera vita graviora: si vis cur murmuras, blasphemias &c. Dilemmate usus est Christus a lapā percussus à servo. Vel dixi verum, vel non dixi; si dixi, cur me cædis? si non dixi, probandum tibi prius & testimonium perhibendum de falsitate quàm cædendum. Medaurensis Philosophus Magiæ accusatus ab Æmiliano, quod Pudentilla conjux, cum illum insanè amaret, magum esse scripserit, sic se tuitus est: vel enim Pudentilla hoc scripsit sano iudicio, vel insano? si insano, non est illi fides habenda; si sano iudicio, nihil igitur magicis artibus à me passa est. Dilemmati innitebantur Pharisei, dum Christum intenderunt capere in sermone. Sic enim illi secum: vel affirmabit dandum tributum Cæsari, vel non. Si ita, ex osum ipsum reddemus apud plebem, ut quam tributariam Romanis esse vult; si non, erit contra Cæsarem. Eumenides Poëta Cretensis dixit: Cretenses semper mendaces; contra hunc igitur sic quidam insurrexit, Vel est verum quod dixisti, vel non; si est verum, ergo tu ipse es mendax, quia etiam Cretensis es; & sic tibi ipsi credendum non est hoc dicenti; si non est verum, ergo nec sic tibi affirmanti credendum est. Quidam somniis nullam adhibebat fidem, ideo quod somniasset, somniis fidem

non esse adhibendam. Hunc sic quidam aggressus est. Vel fides habenda somniis vel non: si est habenda fides? ergo malè dicis non esse habendam; si non est habenda fides? cur igitur tu ipse habes, quando credis ideo non habendam fidem somniis, quia id somniasti. *Confutantur* autem dilemmata si falsa sunt (enim vera sunt nunquam reprehenduntur sed admittuntur) aut *infirmatione*, aut *conversione*; infirmatione quando negatur vel refutatur aliqua pars ut falsa: conversione, quando, quod contra nos afferebatur, in adversarium retorquetur per commutationem, v.g. si quis sic arguat: vel evades per militiam ad dignitatem, vel non evades: si evades, habebis invidos; si non, frustra molestias subibis. Rhetor queri potest hoc modo: vel evadam, vel non evadam; si non, non habebis invidos; si ita, non frustra molestias subibo. Sic Antigonus Rex, cum frater ejus peteret, ut lis, quæ inter ipsos erat, clam componeretur, dicebat: vel causam habes justam, vel injustam? si injustam cur litigas? si justam, cur hominum notitiam fugis? cui frater. Si justa est, domi sine tua infamia melius cognoscetur; si injusta, minorem ego infamiam subibo. Hæc arte Evathlus mercedem Magistri sui Protagoræ elusit. Dederat Evathlus Protagoræ dimidium pecuniæ pro labore, reliquum daturus, ubi priam causam litigando evicisset. At, nè dare cogeretur, nullam causam agebat. Protagoras igitur Evathlum in judicium vocavit, dicens Evathlo: vel ego causam evincam, vel tu. Si ego; debebis mihi

hi solvere ex iudicium sententia; si tu, solvere debebis ex pacto, quo pollicitus es, soluturū te, si primam causam obtinueris. Cui Evathlus: vel tu, vel ego causam evincam? si tu, ergo non tenebor solvere, quia primam causam non evici, quod tamen ex pacto requiritur. Si ego evincam, nīl igitur tibi debebo ex iudicium sententia, quā à solutione absolvar. Huiusmodi dilemmata Crocodili vocantur, eò quòd Crocodilus eò sit usus, ut est apud Politianum. Fingunt enim Poëtae, rapto puero, Crocodilum sic cum matre collocutum, reddam tibi filium, si verum dixeris; an sim restitutus. Hīc mater negavit fore, ut redderet, atq; sic ex pacto Crocodilum teneri ad restitutionem affirmabat: at crocodilus non reddam igitur, inquit, si enim reddam, non erit verum quod dixisti: si verò dixisses me redditurum, nec sic reddidissem, quia falsum fuit me reddere velle.

Nota. *Dilemma non esse specialem & distinctam argumentationem à quatuor prioribus; sed duplex enthymema ex duobus contrariis conflatum; cum habeat modum & formam enthymematis: hoc enim enthymema: vel remittis culpam, vel non remittis, si non remittis durus es & crudelis; si remittis, mollis es, & effeminatus: sic resolvitur: non facile remittis, ergo es durus? facile remittis, ergo es mollis. Quamquam, cum aperte non habet particulam illativam ergo, igitur, sed solūm implicitè, & reductivè, negari potest esse formalem argumentationem, sed solūm virtuales & implicitam,*